Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31237
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">>

tis radicitus amputetur: detur ab abbate ea que sunt necessaria: id est cuculla: tunica: pedules: caluge: bracile: cutellus: graduum: acus: mappula: tabule: ut omnis occasio auferatur necessitatis. In quo tamen abbate semper consideretur illa sententia animi apostoli: qua dabatur singulis prout cuique opus erat. Ita ergo et abbas consideret infirmitates indigentium: non malam voluntatem intuendum. In omnibus tamen iudicio suo: dei retributionem cogitet. De

Capitulum 56. Mensa abbatis: mensa abbatis. Capitulum

Mensa abbatis: cum peregrinis et hospitibus sit semper. Quotiens tamen minus sunt hospites: quos vult de fratribus vocare in ipsius sit potestate. Seniores tamen unum aut duos semper cum fratribus dimittendum procurent: propter disciplinam. De

Capitulum 57. Artifices si sunt in monasterio cum omni humilitate faciant ipsas artes: si tamen iusserit abbas. Quod si aliquis ex eis extollitur pro scientia artis sue: eo quod videatur aliquid conferre monasterio: hic talis euellatur ab ipsa arte: et denuo per eam non transeat: nisi forte humiliato eo iterum abbas iubeat. Si quod vero operibus artificum venundandum est: videant ipsi per quorum manus tractanda sunt: ne aliquam fraudem presumant inferre. Memorentur semper ananie et saphire ne forte mortem quam illi in corpore pertulerunt: hanc isti animo omnes qui aliquam fraudem de rebus monasterii fecerint: in anima patiantur. In ipsis tamen pretiis non surripiat auaritie malum: sed semper aliquantulum iustius detur quam ab aliis secularibus: ut in omnibus glorificetur deus. De

Capitulum 58 De disciplina suscipiendorum fratrum. Capitulum